XXVIII

TOIN

DE COMMODI IMPERATORIS ÆTATE IN NUMMIS INSCRIPTA.

Dissertatio NICOLAI TOINARDI Aurel.

CLARISSIMO VIRO ROBERTO HUBERTO, *BASILICÆ S. ANIANI AURELIANENSIS CANONICO AC PRÆCENTORI,* S. P.

NEQUE *unus es tu*, VIR CLARISSIME, *qui nummis potiùs credas quàm verbis: neque is sum ego, qui velim seni, nedum amico, verba dare, cùm nummos habeo in numerato, quibus ipsi faciam satis. Quoniam itaque nuper dicebas, insolens omnino id esse quod affirmabam,* Ætatem Commodi Imperatoris in compluribus ejus nummis signari, non verò annos Imperii, vel Tribuniciæ Potestatis, *atque id tibi probari postulabas: ecce liberandæ fidei meæ, probos nummos profero, à me maximam partem tractatos, vel fidà manu mihi oblatos; quibus exhibitis, confido, non modò te, qui æquus es rerum æstimator, sed vel pervicacissimos quosque assensum mihi præbituros. Id verò antequam aggredior, prævios quosdam Canonas carptim expromo Commodianæ Chronologiæ congruentes. deinde numismata subjiciam, juxta literas suas numerales, tum* Æræ Christi, *tum* Ætati Commodi *respondentia. Hæc à me nihilominus ita velim accipias, (neque enim omnia tenemus omnes,) ut nullam iis ejusdem Imperatoris numismatis velle me factam injuriam putes, quæ in Musæo habes eosdem præ se non ferentia numeros, quos ex aliis numismatis infrà refero. Vale. Dabam Aurelianis, Idibus Januariis, 1690.*

I. CANON.

COMMODI (qui M. Aurelium patrem habuit, à 7. die mensis Martii anni Ch. 161. imperantem) Natalis convenit diei 31. mensis Augusti, ejusdem anni Æræ Christi 161.

Etenim *natus est apud Lanuvium cum fratre Antonino Gemino, pridie Cal. Septemb. patre patruoque Coss.* Verba sunt Lampridii in Commodo, Cap. I.. Fuerunt autem ambo Coss. M. Aurelius Cæsar III. & L. Aurelius Commodus II. *ejus frater*, supradicto Ch. anno 161.

II. Commodus cum patre Imperator est appellatus, die 27. Novembris, anno Ch. 176. cùm 16. annum Ætatis ageret. (*Ex Canone I.*)

Id enim factum, *V Cal Decemb die, Pollione & Apro Coss.* (apud Lampridium in Comm. Cap. 2.) sive *V. Calendas Exuperatorias, Pollione iterum & Apro Coss.* (Ibid. Cap. 12.)

III. Imperare cœpit, demortuo patre suo M. Aurelio, die 17. Martii, anno Ch. 180. Annum agebat Ætatis 19. (*Ex Dione, pag. 817. A. & Can. I.*)

IV. Imperavit annos XII. menses IX. dies XIV. (*Dio, pag. 828. C.*) atque ita XIII. duntaxat Imperii annum attigit,

V. Commodo in titulis, (*apud Dionem, pag. 824. E*) in Numismatis, & in Epitaphio, Tribunicia Potestas non numeratur ultra XVIII.

VI. Commodus iniit IV. Consulatum, Collegâ M. Aufidio Victorino II. anno Ch. 183.

VII. Materni adversus Commodum insidiæ detectæ fuerunt ineunte Vere, atque eam ob rem peracta sacrificia. (*Herodian. Lib. I, Cap. 18.*)

Id contigit anno Ch. 190.

VIII. Commodus paulò post detectas Materni insidias, ingruente peste, Laurentum secessit. (*Herodian. Lib. I. Cap. 18.*)

IX. Appellatus est *Romanus Hercules*, quòd feras Lanuvii in Amphitheatro occidisset. (*Lamprid. in Comm. Cap. 8.*)

Quòd LEONEM Commodus aliasque feras occidisset, dictus est HERCULES. (*Spartianus in Caracallâ, Cap. 5.*)

Id medio circiter Vere ejusdem anni Ch. 190.

X. Peremptus est in intermediâ illâ nocte, quæ postrema fuit Decembris, anno Ch. 192. & prima Januarii, anno 193.

XI. Vixit annos XXXI. & menses IV. (*Dio, pag. 828. C.*) quot sunt ex Can. I. & X.

XII. Commodus itaque ingressus est XXXII. Ætatis annum.

Huc usque pauci illi necessarii Canones, qui unà cum permultis aliis, ampliori in Opere *De M. Aurelii, Lucii Veri, & Commodi Chronologiâ*, Deo dante, stabilientur.

Jam ad rem de quâ inter nos controversia.

Prostant passim ærea Commodi numismata; medii moduli, in quibus numerales literæ annos à numero K. 20. usque ad AB. 32. exhibent, neque plures, neque pauciores.

Quoniam verò numerus iste superat annos Imperii Commodi, qui sunt ad summum XIII. (*ex Can. IV.*) & Tribuniciæ Potestatis, qui XVIII. (*ex Can. V.*) consequens est numerales istas literas non posse (*ex Can. XII.*) referri nisi ad *Ætatem Commodi*, cum quâ conveniunt. Sunt enim utrobique anni XXXII. uti ex nummorum exhibitione modò planum fiet.

Ægyptiaci sunt omnes. Id scilicet unum in rebus Commodi Imperatoris desiderabatur, ut novi aliquid in hoc monstro ferret Africa.

Asservantur omnes in Gazâ Regiâ, demptis iis qui solummodò privatis Musæis hîc assignabuntur. Reperiuntur etiam nonnulli utrobique, ut suis locis indicabitur.

Complurium typos, manu suâ delineatos, ad me transmisit V.C. Andreas Morelius, Antiquarius Regius: in quo quidem Viro industria cum eruditione certat.

Duos qui primo loco exponendi, profert V.C. Car. Patinus, Eques, in *Thesauro Mauroceni*, (Venetiis à se anno 1682. edito,) pag. 126. & 127. sed solens more suo *Acephalôs*, id est, absque anticæ partis epigraphe, quæ hactenus, maximo rei nummariæ damno, nimis frequens fuit Antiquariorum incuria, dicam, an imperitia.

Præmoneo hîc, numismata mox exhibenda, cudi potuisse in illo temporis spatio, quod est à mense Augusto decurrentis anni signari in quolibet numismate, usque ad mensem Augustum insequentis anni: adeo ut non liqueat omnino, an in anno *Æra Christi*, quo incepit signatus numerus *Ætatis Commodi*, an verò in anno insequenti cusum fuerit numisma, (quia numerus signatus in quatuor menses unius anni, & octo alterius incidere potest,) posse nihilominus ex probabilibus argumentis aliquando elici, an citra vel ultra Calendas Januarias occasio aliqua fuerit percutiendi numismatis.

Hinc numeri *Æræ Christi* & *Ætatis Commodi* in columnis insequentibus ita sunt identidem dispositi, ut aliquando hæc illi, aliquando illa huic subjiciatur.

COM-

Æra Christi. | Ætatis Commodi.

COMMODI IMPERATORIS NUMISMATA,
quæ literas numerales à K. 20. *ad* AB. 32. *continent.*

In Thesauro Mauroceni, pag. 126.

L.K. id est, *Anno* 20. *Caput Jovis Olympici.* 180

Plenior est typus in Latino nummo argenteo apud Occonem, pag. 315. & Mediobarbum, pag. 244. 20

L. AVREL. COMMODVS AVG. TR. P. V. *Caput radiatum.*

IOVI VICTORI IMP. IIII. COS. II. P. P. S. C. *Jupiter sedens, dextrâ Victoriolam, sinistrâ hastam.*

In eodem Thesauro Mauroc. pag. 127.

ΠΡΟΝΟΙΑ. L.K. id est, *PROVIDENTIA. Anno* 20. *Imperator sacrificans coram viro armato, duobus aliis sequentibus, inter duas arbores.* 180 | 20

Addit Car. Patinus: *Annos in nummo capere difficile est: ad Imperii quippe referri non placet, cum Commodus anno Imperii XIII. occisus fuerit.* Sed quod Clariss. Auctorem fugit, omnium ob oculos hic positurus sum: nempe annos *Ætatis* Commodi ibi significari.

Plenior est cum dissimili typo epigraphe apud Occonem, pag. 315. & Mediobarbum, pag. 244. si ad *Deorum Providentiam* referatur. Habet autem se ejusmodi.

M. COMMODVS ANTON. AVG.

PROV. DEOR. TR. P. V. IMP. IIII. COS. II. P. P. S. C. *Providentia typus cum radio quo globum tangit, sinistrâ hastam tenet.*

Commodus Imperium suscepit die 17. Martii, anno Ch. 180. (*ut Can. III.*) Natus est autem die 31. Augusti, anno Ch. 161. (*ut Can. I.*) Anno itaque Ch. 180. die 31. Augusti, annum Ætatis 20. ingressus est. Unde Alexandrini in obsequium novi Imperatoris hæc numismata cuderint, ineunte statim Septembri.

Ex his duobus numismatis videre est Græcos Latina numismata imitari, uti à me identidem ad annos insequentes indicabitur.

Id discimus ex æreis rarissimisque, tam magni quàm maximi moduli, ejusdem Commodi numismatis, apud Occonem pag. 317. & 318. ac Mediobarbum pag. 246. & 148. in quibus epigraphe:

TEMPORVM FELICITAS TR. P. VII. COS. III. P. P. vel, TR. P. VIII. COS. IIII. cum typo *Quatuor puerulorum, quatuor anni tempestates designantium.*

Simile enim cuderunt Laodiceni, in quo: ΕΥΤΥΧΕΙΣ ΚΑΙΡΟΙ, id est, *FELICIA TEMPORA.* teste Jac. Sponio, *Peregrinationum suarum*, (Lugduni, vernaculè, anno 1678. editarum,) Tom. III. pag. 191.

In Musæo Rigordiano. *Massiliæ.*

M. ΑΥΡΗ. ΚΟΜΟ. ΑΝΤωΝΙΝΟϹ C... *Caput laureatum.* 181 | 21

*M*arcus. *AURE*lius. *COMM*Odus. *ANTONINUS. A*ugustus.

In aversâ parte, *Tropheum* Germanicum, *à duobus crocodilis, nempe ab altero hinc, ab altero inde suffultum.*

In areâ hinc K. inde A.

id est, ∟ 2 1.
Anno

In isto nummo, atque in insequentibus, observanda sunt duo de situ literarum numeralium, ac de figurâ Notæ ∟.

Ætas Ch. Ætat. Com.

In eis literæ numerales separantur utplurimùm intermediâ figurâ quæ in typo, adeo ut prima litera sit in dextro areæ latere, altera in sinistro.

Nota illa ∟, cujus partem rectam breviorem, subjacentem verò diductiorem vi- 181
des, figura est perperam efficta priscæ Græcorum literæ L, quæ posita pro poste- 21
riore eorum Λ, *Lambda*, vocabulum Λυκάβαντος, id est, *Anno*, compendiose indicat.

Hujus numismatis literæ numerales KA. 21. docent ipsum non fuisse cusum ante mensem Augustum anni Ch. 181. hoc enim solummodò tempore (*ex Can. I.*) Commodus Ætatis annum 21. iniit.

Trophæum *Germanicum*, vel ex animo, vel ex assentatione insculptum, refertur ad quasdam victoriolas, quas Commodus primo Imperii sui anno *de Marcomannis, Quadis ac Buris* retulit, teste Dione, (*pag.* 817.) propter quas ipsas Romam (*statim post patris obitum*) ut rediit, triumphavit. (*Lampr. Cap.* 3.)

Ægyptii autem habuerunt similes, quos imitarentur, Latinorum typos, signatos,

TR. P. V. IMP. IIII. COS. II.

vel, TR. P. VI. IMP. IIII. COS. III.

ut videre est apud Occonem & Mediobarbum. Commodus enim Cos. III. processit anno Ch. 181. Collegâ Antistio Burrho II.

In Musæo *quoque* Droniano. *Parisiis.*

M. ATP. KOM. ANTONINOC CEB. *Cap. laur.* 182
L. KB. *Anno* 22. *Roma sedens, dextrâ Victoriolam, sin. hastam tenens.* 22

Car. Patinus Thes. Mauroc. pag. 126. eumdem typum refert cum L. B. *Anno* 2. Sed bonâ cum veniâ Clariss. Auctoris, vehemens mihi suspicio inest, ante literam B, omissam fuisse ab eo literam K, numeri vicenarii indicem, quòd concoquere non possem quâ ratione in Imp. Commodo L. KB. id est, *Annus* 22. reperiretur. Vide præterea quæ dicam super numismatis, quæ literis KΘ. 29. Λ. 30. & ΛB. 32. insigniuntur.

M. AT. KOM. ANTΩNIN. CEB. *Cap. laur.* 183
L. KΓ. *Anno* 23. *Commodus eques Leonem jaculo petit.* 23

Quamvis in hoc numismate Commodus non inscribatur ΥΠΑΤΟC ΤΟ Δ. id est, *CONSUL IV.* ut in insequenti, non ideo tamen censendum est cusum fuisse postquam Commodus Consulatu IV. abiit. In variis enim hujuscemodi numismatis, si unum infrà relatum demas, ejus Consulatus ubique omittuntur.

Quapropter, ne videantur Ægyptii in imitandis Latinorum typis nimis diu tardasse, istud anno Ch. 183. post mensem Augustum (*ex Can. I. & VI.*) assignandum puto: cujus ad illustrationem nonnulla sunt præmittenda.

Solebant Græci Latinorum numismatum typos æmulari, ut suprà ostendi ad annum 180. Itaque non malè quis existimaverit, hoc numisma, in quo *Imperator eques Leonem jaculo petit*, percussum fuisse ab Alexandrinis ad similitudinem aliorum Latinorum numismatum, quorum alterum magni moduli Gaza Regia possidet hujusmodi:

M. COMMODVS ANTONINVS AVG. *Cap. laur.*

VIRTVTI AVGVSTI TR. P. VII. IMP. IIII. COS. III. P. P. *Idem typus Commodi equo insidentis, ac Leonem jaculo petentis*

Alterum est magni quoque moduli in Musæo Eruditiss. Antiquarii, Lud. Jobetti, S. J. omnino simile quantùm ad epigraphen, ac typum aversæ partis.

Cusa sunt autem ante annum 183. prout ex notis TR. P. VII. & COS. III. intelligitur. Commodus enim eo anno Cos. IIII. processit, TR. P. VIII.

Porro ex Alexandrino numismate, de quo agitur, atque istis Latinis observandum

dum occurrit, jam inde ab anno Ch. 182. *Leonem à Commodo fuisse confossum*, neque tamen ideo Commodum tunc appellatum fuisse *HERCULEM*, sed tantummodò octo post annis, (*ut Can. VIII.*) post similem eventum, de quo, anno 190. in nummo Amasiano, infrà. Nondum videlicet satis adultâ Principis vesaniâ, necdum Senatus adulatione modum prætergressâ. | Ætat. Ch. 183 | Ætat. Com. 23

sic
M. ΑΥΡΗ. ΚΟΜ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. *Cap. laur.* 183

ΥΠΑΤΟϹ ΤΟ Δ. id est, *CONSUL IV. Jupiter sedens, dextrâ Victoriolam, sin. hastam.* 23

In imo, . . ΚΓ. 23. ubi litera L, quâ Λυκάβαντος, id est, *Anno*, significatur, detrita est ante ΚΓ.

Commodi Consulatus IV. in hoc præstantissimo numismate signatus cum anno ΚΓ. 23. docet (*ex Can. I. & VI.*) percussum ipsum fuisse post mensem Augustum anni 183. atque ante finem Decembris, nempe ut Ægyptii Commodo Consuli honorem haberent.

Hoc autem uno numismate, si alia deessent, extorqueretur etiam ab invitis, *Ætatem Commodi in eo inscribi.* Quomodo enim Consulatus ejus IV. quem anno Ch. 183. inivit, (*ex Can. VI.*) congruere potest literis numeralibus ΚΓ. 23. nisi annum 23. *Ætatis Commodi* indicent? Cusum est verò, ut dixi, post mensem Augustum.

Eodem circiter tempore, nempe post mensem Octobrem, alium, quem vidi, Commodi nummum Tyrii percusserint, cujus in aversâ parte leguntur literæ ΘΤ. id est, 309. quæ juxta tertiam ac postremam ipsorum æram, annum Tyrium 309. indicant à 19. die Octobris decurrentem. Tres enim omnino æras Tyrii, ac totidem Gazenses usurparunt, uti à me ex numismatis observatum, de quibus aliàs erit differendi locus.

In præsentiâ tantummodò dicam, in Tyriorum Judicio, quod anno Ch. 449. habitum est, ac refertur Actione IX. Conc. Chalcedonensis, anno 451. celebrati, Indictionem *primam* perperam legi, ac pro eâ *secundam* reponendam esse. Ibi annus Ch. 449. concurrit cum 574. anno tertiæ Tyriorum æræ.

In Musæo *quoque* Droniano.

M. A. KO. ANTω. CEB. ΕΥCΕΒ. *Cap. laur.* 184 | 24

L. ΚΔ. Anno 24. *Figura togata, stans, cum pileo Phrygio in capite ut Deus Lunus, sacrificat coram Serapidis capite, columnæ imposito, arâ intermediâ. Sin. extremam togam sustinet.*

Apud Mediobarbum, pag. 252. argenteus Commodi nummus: SARAPIDI CONSERV. AVG. *Sarapis stans cum calatho, dextrâ elatâ.* (Ex Patini Thes.)

In insequentibus nummis, quorum epigraphen anticæ partis non refero, censenda sunt omnia esse sicut in isto: nisi fortè levi discrimine legatur KOM. pro KO.

In Musæo Vaillantiano, *Parisiis.*

L. ΚΔ. Anno 24. *Mulier cum modio stans, sacrificans coram Serapidis capite, columnæ imposito, arâ intermediâ. Sin. cornucopia.* 185 | 24

In Musæo Droniano.

L. ΚΔ. *Anno* 24. *Nili, umbilico tenus, effigies, cum cornucopia super humerum dextrum.* 185 | 24

Typus indicat copiosam hoc anno messem fuisse in Ægypto, ut alii infrà ad annos 25. & 28. Non fuit autem illa messis nisi anno Ch. 185. ut docet 24. Commodi annus. (*Ex Can. I.*)

Ætas Ch. | Ætas Com.

In Mufæo Droniano.

M. ATP. KOM. ANTONIN. CEB. *Cap. laur.* 24

L. KΔ. *Anno* 24. *Victoria gradiens, dextrâ coronam, fin. palmam.* 185

In Mufæo *quoque* Vaillantiano & Rigordiano.

L. KE. *Anno* 25. *Nili, umbilico tenus, effigies, cum cornucopia à tergo.* 186 25

Typus indicat copiofam hoc anno meffem fuiffe in Ægypto, ut alius fuprà ad annum 24. & infrà ad annum 28. Cufus eft nummus poft æftem anni Ch. 186. (*Ex Can. I.*)

L. KE. *Anno* 25. *Victoria in bigis.* 186 25

In Mufæo Droniano.

L. KE. *Anno* 25. *Quadriga aurigante Victoria.* 186 25

Duos fuperiores nummos, ex indicio typi *Victoriæ*, [illegible] intelligas ad fimilitudinem complurium Latinorum, qui ex omni metallo apud Occonem & Mediobarbum, varios habent *Victoriæ* typos, cum epigraphe in aversâ parte:

P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P.

Commodus enim anno Ch. 186. Cos. V. proceffit, Collegâ Man. Acilio Glabrione II. cùm ei annus Ætatis 25. decurreret. (*Ex Can. I.*)

Huc quoque præfertim referendus aureus nummus, qui apud Occonem pag. 322, & æreus apud Mediobarbum, pag. 251. verfu 52. cujus in aversâ parte:

SAEC. FEL. P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P. S. C. *Victoria ftans, dextrâ infcribens in clypeo* VO. DE. id eft, VOta DEcennalium.

[illegible] enda autem illa fuit ab *Imperatoriâ* [illegible] *Appellatione*, cujus annus X. incepit die 27. Novembris, annò fuperiore 185. (*Ex Can. II.*)

In Gazâ Regiâ & in Mufæo Droniano æreus eft ejus Magni moduli nummus, his proximis planè fimilis, in quibus VO. DE. nifi quòd in epigraphe defit S. C. In iis clypeus in quo *Victoria* infcribit VO. DE. innixus eft palmæ arbori. Cufi funt autem ante diem 27. Novembris anni Ch. 186. quem, ut dixi, Commodus Cos. V. aperuit.

In Mufæo Vaillantiano.

M. A. KO. ANTΩ. CEB. ETCEB. *Cap. radiatum.* 186 26

L. Kϛ. *Anno* 26. *Jupiter fedens, dextrâ fulmen. Ad pedes aquila.*

L. KZ. *Anno* 27. *Caput Jovis Hammonis cum impofito globo.* 187 27

In Mufæo Vaillantiano.

L. KZ. *Anno* 27. *Caput Jovis Hammonis, abfque globo.* 187 27

In Mufæo Droniano.

L. KZ. *Anno* 27. *Caput Jovis Olympici.* 187 27

Commodus ipfe his typis *Jovis* exhibetur. Similia quæ Alexandrini imitati fuerint, complura funt cum iifdem ferè typis numifmata apud Occonem, pag. 323. & Mediobarbum, pag. 252. inter quæ iftud,

M. COMMODVS ANT. P. FEL. AVG. BRIT.

IOVI IVVENI P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. S. C. *Jupiter ftans, dextrâ fulmen, fin. haftam. Ad pedes aquila.*

Typum vide apud Triftanum, Tom. I. pag. 714.

L. KH.

Æræ Ch. | Ætat. Com.

L. KH. *Anno 28. Commodus togatus & laureatus ramusculum tenet. Coronam ejus tangit mulier turrita, spicas tenens.* 188 | 28

In Musæis *quoque* Bignoniano & Droniano. *Parisiis.*

L. KH. *Anno 28. Juvenis seminudus dextrâ caduceum gerit, sinistrâ palmam sustinet humi defixam. Ad ejus pedes canis.* 188 | 28

Seminudus iste Juvenis non modò Mercurium, sed ipsum etiam Commodum repræsentat, qui teste Dione, pag. 825. D. *Ferebat caduceum quale Mercurius solet. — Ipse autem Mercurii habitu introibat in theatrum, abjectisque cæteris, sta in tunicâ discalceatus, opus aggrediebatur.*

In Musæo *quoque* Droniano.

L. KH. *Anno 28. Duo Serpentes, mas & fœmina, seorsim erecti, extremis caudis convolutis insistentes. Mas cristæ speciem super capite gerit. Fœmina Persico fructu coronata est, eique duo grandia sub collo ubera prominent.* 189 | 28

Typus iste in memoriam mihi revocat quod à Viris fide dignis olim accepi, Circumforaneos esse quosdam in urbe Ægypti principe, quam *Cairum* vocant, qui plebis oblectamento, *Serpentes* in plateis exhibent, *recto situ saltare doctos.* Sunt autem brachii humani, atque ampliùs, crassitudine, ac sexpedam longitudine superant. Inde quidem existimaverim hoc numisma, in quo *Duo Serpentes erecti, & coronati*, cusum fuisse quo tempore aliquod munus Alexandriæ edebatur: putà pro Decennalibus Imperii Commodi. Decimum enim Imperii annum iniit die 7. Martii, anno 189. (*ex Can. III.*) cùm annum Ætatis 28. ageret. (*Ex Can. I.*)

Typum habes apud Tristan. Tom. I. pag. 744. qui *Osirim & Isim*, Ægyptiorum numina, sibi visus est in *Duobus* istis *Serpentibus* invenisse. tum deinde in cælaturâ nummi omisso H. in dextrâ parte areæ, respondens τῷ K. quod est in sinistrâ, & præterea ratus ⌙ (jacens ac diductum) poni pro Γ. inclinato, ambas literas reddidit in textu per Γ^{K}. absque ullâ explicatione. quæ quidem variis Commentatoribus ut brevior nonnunquam & expeditior est via, ita persæpe Lectoribus compendiosa.

Serpentis mansueti, cui nomen *Glyco*, & appostitia capitis humani ex linteis figura, historiam vide apud Lucianum in *Pseudomanti*, ac typum ex L. Veri ΙΩΝΟΠΟΛΕΩC, *Ionopoleos*, numismate, in *Specimine Rei Nummariæ* V. C. Andreæ Morelii, edito Parisiis, anno 1683. cum exquisitis ejusdem Auctoris Notis, pag. 61. qui literis nuper ad me datis, pro suo candore professus est, se in supradicto L. Veri numismate, exactiùs perspecto, invenisse effictum illud caput humanum, uti Lucianus refert, secus ac ipse olim in Notis dixerat.

M. ΑΥΡΗ. ΑΝΤω. CEB. ΕΥCEBHC. *Cap. laur.*

L. KH. *Anno 28. Nili, umbilico tenus, effigies, cum cornucopia.* 189 | 28

Typus indicat copiosam hoc anno messem fuisse in Ægypto, ut alii suprà, ad annos 24. & 25. Non potuit autem iste cudi nisi post messem anni Ch. 189. cùm annus 28. Commodi esset in cursu. (*Ex Can. I.*)

In Musæo *quoque* Droniano.

L. KΘ. *Anno 29. Commodus togatus dextrâ pateram super aram effundit, sin. hastam gerit. A Victoriâ retro stante coronatur.* 190 | 29

Cusum fuerit anno Ch. 190. ante finem mensis Augusti, Commodo annum 29. nondum egresso. Cudendi causa duplex.

Æra Ch. | Ætat. Com.

Primò quidem *ad indicanda sacrificia*, quæ post detectas ineunte Vere Materni insidias, ejusque necem peracta sunt. (*ut Can. VII.*) siquidem Commodus in numismate *dextrâ pateram super aram effundit.* 29

Deinde verò propter datam Commodo *Herculis Romani* Appellationem, medio circiter Vere ejusdem anni. (*ut Can. IX.*) Ibi enim, quoniam *à Victoriâ retro stante coronatur*, non designatur *Victoria* nisi de confosso Leone. 190

Ita quoque in Gazâ Regiâ æreum asservatur numisma magni moduli, & aliud medii moduli in Musęo Droniano, quæ percussa sub finem ejusdem anni, vel initio insequentis, quibus simile est apud Occonem, pag. 327. & Mediob. pag. 256.

M. COMMOD. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. P. P. *Cap. laur.*

HERC. COMMODIANO. P. M. TR. P. XVI. COS. VI. S. C. *Commodus, Herculis habitu, sacrificans super arâ ante arborem. Sin. cornucopia.*

Car. Patinus Thes. Mauroc. pag. 126. laudat nummum in quo *Jupiter stans à Victoriâ coronatur*, cum literis L. Θ. id est, *Anno* 9. At omnino legendum L. KΘ. *Anno* 29. Causam erroris Patini aperui suprà ad annum KB. 22. & porro aperiam infrà ad annos Λ. 30. & ΛΒ. 32.

L. KΘ. *Anno* 29. *Serapis stans, dextram versus Cerberum extendit.* 29

L. KΘ. *Anno* 29. *Navis cum Pharo Alexandria.* 190 29

Existimo postremum percussum fuisse ineunte Vere, quo tempore classis Alexandrina solvebat, quâ Romam frumenta vehebantur, adeoque anno Ch. 190. cùm annum Ætatis 29. Commodus ageret. (*Ex Can. I.*) 190

Id verò factum fuerit ex æmulatione classis Africanæ, quam Commodus (*in Lamprid. Cap.* 17.) ante quatuor annos instituerat, ut testis nummus apud Sponium in *Disquisitionibus Curiosis Antiquit.* (Lugduni, vernaculè, anno 1683. editis,) pag. 388. in quo

P. M. TR. P. XI. IMP. VIII. COS. V. P. P. PROVID. AVG. *Navis in medio mari, expansis velis, absque remis.*

Apud Mediob. pag. 251. nummus est æreus similis, nisi quòd in epigraphe malè legatur COS. VI. pro V. Commodus enim Cos. VI. non processit nisi TR. P. XV.

Ex tribus variis Græcorum suprà laudatorum numismatum typis, nullus dubito, aliquod aliud numisma inventum iri, in quo cum iisdem literis numeralibus KΘ. 29. videatur *Commodus eques Leonem jaculo petens*, ut in illo qui KΓ. 23. pręfert, de quo suprà.

Hoc enim 29. Ætatis anno (*ex Can. IX.*) Commodus, *quòd Leonem aliasque feras occidisset, dictus est Hercules.* neque verisimile est Ægyptios, qui in nummis istius 29. anni alias res longè minoris momenti signarunt, tam pręclaram adulandi occasionem non arripuisse, ex eventu quo demens Imperator adeo gloriabatur: maximè cùm Cappadociæ primaria civitas, Amasia, æreum medii moduli nummum cuderit, hoc ipso anno, in quo typus iste exhibetur. Illum Gaza Regia possidet, atquę est hujusmodi.

M. AYPHΛ. KOM. ANTΩN. CEBAC. *Cap. laur.*

AΔP. AMAC. MHT. NEΩK. ΠPΩ. ΠO. ET. PΠΘ. *Commodus eques Leonem jaculo petit.*

Id est, *M*arcus. *AVREL*ius. *COM*modus. *ANTON*inus. *AVGVS*tus.

*ADR*ianæ. *AMAS*iæ. *MET*ropoleos. *NEOC*ori. *PRI*mæ. *PO*nti. *AN*no 189.

Literæ numerales sunt unius æræ ex iis quas Amasia usurpavit, cujus exordium sumitur ab Æstate anni Periodi Julianæ 4715. Urbis Conditæ 755. Æræ Christi 1.

Insti-

Ch. Æra | Comm. Ætat.

Institura est ab Amasianis in obsequium Caii Cęsaris, qui Augusti filius adoptivus, ejusdemque ex Juliâ nepos, in spem Imperii alebatur. Instituendæ occasio, pax cum Parthis redintegrata, post Caii Cęsaris, in insulâ Euphratis, cum Parthorum Rege colloquium, de quo Vell. Paterc. *Lib. II. Cap.* 101. Hanc æram liceat *Caianam* appellare. 190 | 29

Annus PПΘ. 189. ab Æstate anni Per. Jul. 4715. sive Ch. 2. deductus, in cursu est ab Æstate anni Per. Jul. 4903. U. C. 943. Ch. 190. Id verò convenit cum Ægyptiacis Commodi numismatis, in quibus L. KΘ. *Anno* 29. (*Ex Can. I*)

Cętera quæ in hoc numismate observanda, peculiarem operam requirunt: sicut & alia complura ejusdem urbis numismata, quorum exquisitæ sunt penes me descriptiones.

In re pręsenti tantummodò dicam, ab hâc *Caïanâ* ærâ deducendas esse literas numerales P O H. id est, 178. appositas sepulchrali Misidis Disticho, Amasiæ reperto, (*apud Gruter. Tom. II M C X LVI.* 3.) quod inde sculptum intelligimus intra Æstates annorum Ch. 179. & 180. M. Aurelii anno 19. vel 20.

Addam pręterea, ex Amasianorum quoque æris aliam, quæ *Caianam* proximè pręcedit, initium habere à mediâ vel desinente Æstare anni Per. Jul. 4700. Urbis Conditæ 740. ante Æram Christi 14. quo tempore M. Agrippa, Augusti gener, finem *Pontica Expeditioni* imposuit. Videsis Fl. Josephum, *Antiquit. Lib XVI. Cap. II. & III.* Dionem, *Lib. LIIII. in Augusto, pag.* 537. & 538. Orosium. *Lib. VI. Cap. XXI.*

Æreus Faustinæ *Junioris* nummus, magni moduli, è Gazâ Regiâ, *Agrippaam* istam Amasianorum æram exhibet, cujus in anticâ parte:

ΦΑΥCΤΕΙΝΑ CΕΒΑCΤΗ. id est, *FAUSTINA AUGUSTA.*
Faustina caput. Ex adverso Luna crescens.

In aversâ: ΑΜΑΣΙΑΣ ΜΗΤ. ΠΡΩ. ΤΟΥ. ΠΟΝ. ΕΤ.

Id est, *AMASIAE MET*ropoleos. *PRI*mæ. *PON*ti. *AN*no. *Senilis figura barbata, sinistrorsum versa decumbens, brachio sinistro rupibus innixo, sinistrâ arundinem tenens. Ad pedem dextrum anterior pars navicula.*

In areâ, supra naviculam, literæ numerales ΘПР. id est, 189.

Supradictâ effigie fluvius Iris indicatur, qui Amasiam prætetfluit. (*Strabo Lib. XII. pag.* 547. *Plin. Lib. VI. Cap. III.*)

Barba ei apponitur, quòd aquas ac nomen rectà in Pontum Euxinum deferat. Amnes enim qui in alios delabuntur, imberbes depinguntur. Ita docet celeberrimus Antiquarius, Joan. Vaillantius, pag. 161. & 260. alterius partis amplissimi & præstantissimi Operis *De Coloniis & Municipiis*, & cæt. anno 1689. Parisiis editi.

Singularis autem illa res est, tempus duorum nummorum, eâdem in urbe cusorum, iisdem literis numeralibus, PПΘ. vel ΘПР. 189. signatorum, (quales ille Amasiæ Commodianus, atque iste Faustinianus,) differre quindecim omnino annis. Commodianus enim anno Ch. 190. (ut suprà dixi,) percussus est: Faustinianus autem anno Per. Jul. 4888. U. C. 928. Ch. 175. & quidem ineunte circiter Autumno, cùm M. Aurelius, comite Faustinâ, uxore suâ, per mediam Asiam, post *apertam* Avidii Cassii defectionem, iter faceret, in Syriam tendens.

In Musęo *quoque* Droniano.

L. Λ. *Anno* 30. *Diana caput, cum Lunâ crescente.* 190 | 30

Car. Patinus Thes. Mauroc. pag. 126. similem nummum exhibet in hunc modum, L. A. (*Anno. I.*) *Caput Crispina coram Lunâ.*

Sit Crispinæ ipsius caput, Commodi conjugis. sit Dianæ, ut probabilius est,

Crispinam referentis, parum interest. At Clar. Auctor hallucinatus fuerit in literâ Λ, *Lambda*, quam non modò propter similitudinem acceperit pro A, *Alpha*, id est, I. pro XXX. sed maximè quia XXX. annus in Imperatore Commodo ipsi non occurrebat. (Ch. Æra / Com. Ætat.) 190 30

In Musęo *quoque* Droniano.

L. A. *Anno* 30. *Serapis stans, dextrâ spicas gerit. A tergo tripus.* 190 30

In Musęo *quoque* Droniano.

L. A. *Anno* 30. *Spes stans.* 190 30

In Musęis *quoque* Droniano & Vaillantiano.

ΠΡΟΝΟΙΑ. L. Λ. id est, *PROVIDENTIA. Anno* 30. *Figura stolata stans, capite radiato, dextrâ aliquid innuere videtur. Sin hastam tenet.* 190 30

In Musęo Droniano.

L. Λ. *Anno* 30. *Aquila.* 190 30

Ex indicatione V.C. Andreæ Morelii.

L. ΛA. *Anno* 31. *Typus non est ad manum.* 191 31

In Musęo *quoque* Vaillantiano.

Λ. ΑΙΛ. ΑΥΡ. ΚΟΜ. CEB. ΕΥCΕ. ΒΡΙΤ. *Cap. laur.* 192

L. ΛB. *Anno* 32. *Aquila fulmini insistens, inter duo signa militaria.* 32

Id est, Λουκιος. ΑΙλιος. ΑΥΡηλιος. ΚΟΜοδος. CEΒαστος. ΕΥCΕΒης. ΒΡΙΤαννικος.
Lucius. AELius. AURelius. COMmodus. AUGustus. PIus. BRITannicus.

In Cimelio Excellentiss. D. March. de Seignelay, Regni Administri.

Λ. ΑΙΛ. ΑΥΡ. ΚΟΜ. ΑΝΤω. CEB. ΕΥCΕΒ. *Cap. laur.* 192

L. ΛB. *Anno* 32. *Caput Jovis laureatum.* 32

Natus est Commodus anno Ch. 161. die 31. Augusti. (*ut Can. I.*) Annum itaque 32. iniit eâdem die 31. Augusti, anno Ch. 192.

Peremptus est die ultimâ Decembris, anno eodem 192. (*ut Can. X.*) Cusa itaque fuerint ista numismata intra menses Augustum anni 192. & Januarium anni 193. vel ad summum initio anni 193. antequam interitus Commodi rescire-tur in Ægypto, ubi cusa sunt.

Car. Patinus, Thes. Mauroc. pag. 126. laudat cum simili typo numisma, in quo L. B. *Anno* 2. Sed verisimile est omissam ab ipso fuisse literam Λ. numeri tricenarii indicem, quod non intelligeret quomodo L. ΛB. *Annus* 32. congruere posset Commodianæ Chronologiæ.

Non abs re erit æreum alium subdere medii moduli nummum è Gazâ Regiâ, cui certum locum hîc proximè assignare non potui, quoniam in eo altera numeralis litera desideratur. Habet autem se in hunc modum:

Λ. ΑΙΛ. ΑΥΡ. ΚΟΜ. ΕΥCΕΒ. ΕΥΤΥ. *Cap. laur.*
ΡωΜΑΙωΝ ΗΡΑΚΛ. . . . . *Victoria retro stans, Herculem coronat.*

Id est, *Lucius. AELius. AURelius. COMmodus. PIus. FELix.*
ROMANORUM HERCULes.

In imo, . . . Λ . . . ubi detrita prior litera, est L. quæ verò post Λ. nequit alia esse ab A vel B. unde cum Λ. fieret ΛA. vel ΛB. id est, *Anno* 31. vel 32.

Preter-

Prætermittendum non est, ex epigraphe quæ in tribus superioribus nummis legitur, ac præterea in illo qui apud Occonem, pag. 319. ΔΗΜ. ΕΞΟΥC. ΙΗ. ΥΠΑΤ. Ζ. id est, *TRIB*uniciâ *POTEST*ate. *COS. VII.* signatur, videri Commodum aliquando Græcis in nummis *Lucium Ælium* fuisse denuo appellatum, uti, antequam imperaret, appellabatur, quamvis post susceptum Imperium, *Marci* Prænomen universim tulerit. Idem observatur in Latinis ejusdem numismatis apud Occonem, pag. 328. & 329. & Mediob. pag. 255. ad 258.

Ex nummis autem qui apud Mediob. pag. 255. Prænomen & Nomen *L. AEL.* habent cum notâ COS. VI. (anno Ch. 190. à Commodo suscepti,) intelligere est hanc mutationem non accidisse ante istum Ch. 190. annum. Nummi enim in quibus apud Mediobarb. pag. 254. absque ullâ TRIB. POT. vel COS. designatione, *L. AEL.* inscriptum est, alieno sunt loco positi, ac post eos in quibus COS. V. repellendi.

Atque hæc, VIR CLARISSIME, sufficere arbitror, ut si quid deinceps asseveravero, quod omnibus passim obvium non sit, specimine ab uno semel intelligas id à me leviter non fieri, nec nisi te pensiculatè examinatâ.

Porro si præterea quæras, quâ tandem ratione ducti, quove consilio Alexandrini annos Ætatis Commodi in nummis signarint, id quidem velim mantissæ loco adjicere, ac dicere, (nec tamen inde hariolus habear,) videri posse ab ipsis factum duas ob causas.

Prima sit, quòd annus fixus, quo Ægyptii utebantur, idem ferè in anno Juliano initium haberet ac Ætas istius Imperatoris. Mensis enim Thoth, qui Ægyptiis primus est, inibat in anno eorum fixo, die 29. mensis Augusti. Natus est autem Commodus die 31. ejusdem mensis. (*Ex Can. I.*)

Porro Ægyptiacus annus deinceps evagari vetitus fuit anno 21. Juliano, ut Ter-Maximus Petavius ostendit *Lib. X.* De Doctrinâ Temp. *Cap.* 71. At *Augustorum* anni quinquennio antè Ægyptiis habebantur, quòd anno 16. Juliano capta esset per Augustum Alexandria. (*Ex Dione in Augusto, pag. 457. A. & Censorino, Cap. 21.*)

Id contigisse die 29. Augusti ut admodum verisimile, ita an dies ille 29. fuerit qui decurrebat in Kalendario per Sacerdotes depravato, quod Romæ tum temporis usurpabatur: an verò *prolepticè* censendus sit ex Kalendario illo recto quod Jul. Cæsar instituerat, ad rem præsentem minimè attinet.

Utut est, remotâ illâ subtiliori inquisitione, satis superque erat, quòd Natalis Commodi nonnisi biduo discreparet à primo die anni Ægyptiaci, ut Alexandrini arreptâ inde occasione vesano Principi adularentur, quasi ejus Natalem pro suorum temporum normâ auspicatò adhiberent.

Sin ista tibi ratio parum arriserit, quia intricatior ac longiùs petita: ecce aliam simplicem & expeditam, eamque è propinquo assumptam, cui præterea testimonium non desit quo firmetur.

M. Aurelius Antoninus Imperium post Antonini Pii obitum, anno Ch. 161. die 7. Martii suscepit. Commodus, Marci filius, eodem anno, die 31. Augusti natus est. (*Ex Can. I.*)

Quoniam autem Commodo obtigerat, quod in nullo Imperatore hactenus fuerat observatum, ut scilicet imperante patre nasceretur: ideo istud quod erat in Natali Commodi singulare, voluerint Ægyptii, *ejus Ætate in Nummis inscriptâ*, significare.

Atque id quidem eo magis quòd paulò post celebratum M. Aurelii funus, Commodus, teste Herodiano, (*Lib. I. Cap. 6.*) conscenso in castris tribunali, milites ad hunc modum sit allocutus. *Nunc me post illum* (patrem intelligit) *vobis fortuna Principem dedit, non quidem adscititium, quales ante me fuerunt, neque velut acquisito Imperio gloriantem. Quippe unus ego vobis* natus sum in aulâ, *privatisque intactum cunabulis.* statim me, ut ex alvo prodieram, Imperatoria purpura suscepit: simulque sol hominem me vidit & Principem. *Meritò itaque hæc reputantes, ametis non datum vobis, sed* NATUM IMPERATOREM. Hactenus Commodi verba, quæ in Ægyptum delata, ansam dederint cudendorum nummorum, in quibus *novi Principis Imperium*, jam inde ab ipsis cunabulis repetitum, (quale jactaverat,) signaretur.

Super editis, Lutetiæ Parisiorum, sub finem anni proximè elapsi, Dissertationibus De Trajani & Caracallæ Alexandrinis Numismatis, *&* De Galbæ Numismate,

MONITUM LECTORI.

UT lubrica res est numerorum scriptio & lectio, ita condonanda quæ me vel Typographum fugerunt

ERRATA, sic corrigenda.

Pag. 4. v. 11. 4643.—4642.
Pag. 6. v. 5. 4628.—4818.
Ibid. v. 8. 4926.—4919.

Præterea in quibusdam exemplaribus, Pag. 7. v. 7. à fine, *lib. II.* lege *V.*

Non modò hæc, quæ levia sunt, Eruditiss. & Humaniss. Viro, D. Placido Porcheron, Monacho Benedictino, partim accepta referre debes, sed & aliam majoris momenti observationem, nempe Alexandrinis istis in Numismatis ante ICCON, non ΠΡΟC, sed KATA esse reponendum.

Id mihi cùm per literas significasset D. Placidus, ac duplici testimonio probasset, petito tum ex Tabulâ Peutingerianâ, ubi *Alexandria Catisson* legitur, tum ex Anonymo Ravennate Geographo, Parisiis anno 1688. edito, & ipsius D. Placidi Notis illustrato, apud quem Lib. V. n. VIII. pag. 262. *Alexandria* ista dicitur *Cata Isson*: rescripsi, *Quamvis Præpositiones* KATA *&* ΠΡΟC *nihilo ampliùs apud Græcos differrent quàm* juxta *&* prope *apud Latinos, tamen observandum esse, non semper à Monetariis usurpari vocabula eadem ac ab Auctoribus, quod multis essem exemplis ostensurus. Non inveniri autem τὸ* KATA *in nummis ad designandam alicujus loci viciniam, sed in iis vulgò τὸ* ΠΡΟC *occurrere, aliquando verò* ΕΠΙ, *id est,* Super, *vel* ΥΠΟ, *id est,* Sub. *Consulendum itaque Trajani nummum, mihi hactenus invisum, in quo si literarum* KATA *vestigium aliquod appareret, tum verò pronunciandum fore, Præpositionem hanc peculiari quodam modo jungi in nummis cum* Alexandriâ, *Cilicia urbe*, ad Issum.

Inde D. Placidus Franciscum Dronium V. C. convenit, penes quem est nummus, atque ut oculatiores sumus in detegendis iis quæ alicubi inesse suspicamur, exhibito nummo, KAT, quod elisum est ex KATA, primo intuitu ambobus perlectum est, de quo statim me monuerunt.

Addidit simul D. Placidus aliam ex Ptolemæo auctoritatem, quam inter edendum *Anonymum Ravennatem* non adverterat. Ea est *Lib. V. Cap. XV.* in Cœles-Syriæ Tabulâ, statim initio, his verbis. Μετὰ τὴν Ἰσσὸν καὶ τὰς Κιλικίας πύλας, Ἀλεξάνδρεια ἡ κατ' Ἰσσόν. *Post Issum & Ciliciæ portas, Alexandria quæ ad Issum.* Ibi κατ' Ἰσσὸν malè ab Interprete redditur, *penes Issum*, ut in alio quoque loco pag. 3. laudato, πρὸς Ἀναζάρβῳ, *penes Anazarbum*.

Novissimè autem ad me scripsit V. C. Andreas Morelius, se in Caracallæ nummo è Gazâ Regiâ deprehendisse quoque KAT ICCO, tam perspicuè quàm in Droniano illo Trajani observatur.

Maneat ergo supplendam esse Alexandrinis istis in Numismatis Præpositionem KATA, cujus lectio emendando Chronici Paschalis loco, pag. 3. relato, mirum in modum congruit. Vocabulorum enim Κατὰ Ἰσσόν, uti in Ptolemæo, vel si mavis, Κατ' Ἰσσόν, intermediis literis in hunc modum, Κα . . . σον, exesis, prono lapsu à Librario factum fuerit Κάσον.

Earumdem Dissertationum in quibusdam exemplaribus, pag. 5. v. 32. verosimile, *lege*, verisimile, Pag. 6. v. 25. tantùm, *lege*, tantum, Pag. 8. v. 5. à fine, unus Dronianus, *lege*, alter tuus.

Parisiis, apud Andr. Cramoisy Typ. in vico *De la Harpe*, 1690.